

& D. Paul. 1. Cor. 7. v. 39. Sin accipiatur ea, qua quis uno tempore junctus est pluribus; omnino improbanda erit, §. *affinitatis 6. & seq. Inst. de nupt.* cum duo, non plures, debeant esse in carne una *Gen. 2. 24. & Matth. 19. v. 5.* & vir, postquam se uni mulieri junxit, amplius potestatem corporis sui non habeat, ut se alij jungat: sicut nec mulier. *dict. 1. Cor. 7. v. 4.*

XXIII.

An inter conjuges requirendus sit etiam consensus in Religione?

Ita sanè: ne facilè, imò ne unquam, in Religione dissentientes iungantur, qui bene concordans matrimonium sperare velint. Cum nuptiæ sint non humani modò, sed & divini juris communicatio: *l. 1. ff. de rit. nupt.* & par sit, ut viri cohabitent uxoribus, tanquam coheredibus vitæ gratiæ, ne impediuntur orationes *D. Petr. 1. epist. 3. v. 7.* Atque hæc observanda erunt, non tantùm quoad illam religionum diversitatem, quæ toto genere discrepat: qualis est inter Christianos & Judæos: qui matrimonio jungi omninò prohibentur, & juncti rursus separari jubentur: *l. ne quis Christianam. 6. C. de jud. & ecclie.* sed etiam quoad illam, quæ hæreseos nomine venit, & inter eos reperitur, qui communi nomine Christiani appellantur. *c. cave & seqq. 28. quest. 1. l. fac. l. si legibus. 16. C. de episc. aud. & l. mulier. 5. vers. his illud. C. de sponsal.* Quanquam in his, sive ob spem conversionis, *c. non oportet.*